

**1980-09-08 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Venerabilis Frater’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**VENERABILIS FRATER**

**B. M. V. IMMACULATA A «CONCORDIA», IN DIOECESI FOROCONCORDIANA  
IN ARGENTINA, PATRONA DIOECESIS ILLIUS CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Venerabilis Frater Adolfus Gerstner, Episcopus Foroconcordianus, datus Litteris die XI mensis Augusti, hoc anno, enixe rogavit ut beatam Virginem Mariam omni labore expertem, a «concordia» cognominatam, Patronam apud Deum dioecesis suae confirmaremus: beatissimam enim Christi Matrem tum titulo «Immaculatam» iam a primaevis historiae sua temporibus a populo fuisse cultam singulari pietate ac religione; tum adiecto titulo a concordia fuisse deinde a fidelibus optatae pacis causam habitam, sive praeteritum saeculum, sive futurum. Qua re clerum gregemque fidelium uno ore petere ut quam ipsi filiorum amore electionem ficerint, Episcopus probaverit, Vos auctoritate Nostra in perpetuum confirmaremus. Vos autem, quibus utrumque sacrum: et Christi Matrem Reginamque caelorum exaltari, et filios, tot discordiae periculis obnoxios tam difficilibus temporibus, validissimo Matris praesidio, tamquam vallo, muniri; aequissimo quidem animo admotae expostulationi concedimus, id profecto confisi, fore ut, tanta Virgine protegente, candida et suavissima pax non modo in dioecesi Foroconcordiana, sed etiam tota Argentina perennis perseveret. Qua re, iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit, factis a Nobis facultatibus, placet beatam Mariam Virginem Immaculatam a concordia esse et haberi Patronam caelestem dioecesis Foroconcordianae, id a Deo simul potentibus ut, aucta fide et amore filiorum, Matris etiam auxilia augeantur. Contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembbris, anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*